

(tam e populo, quam e clero), e quibus maxime solet oriri hæresis. Secundo, quia tunc evigilant catholici, et quam prius quasi dormientem habebant fidem, excitant in actum et dicunt, verbi gratia: Absit, ut ego ab avita et catholica religione in hoc vel illo minimo puncto discedam, hoc vel illud novum dogma credam, etc. Tertio, quia tunc attendunt sibi, cum attendunt illis hæretici: ubi enim vitia eorum notarint, statim taxant et obijciunt ea catholicis, sicque eos pudefaciunt et cautiore reddunt. Ecce, inquiunt, qualem habetis clerum? Quales pastores? Quales canonicos? Qualem religionem? Qui tam facile nobiscum diebus vobis prohibitis comeditis carnes, scortamini, inebriamini, etc. Quarto, alienis casibus sapere discunt, et dum in religione stant, vident ne cadant, cum advertunt aliquos etiam litteratos et clari nominis viros in hæresim lapsos esse. Atque hinc fit, ut catholici inter hæreticos degentes meliores communiter, et ferventiores sint, uti catholici in Anglia, in Helvetia, in civitatibus imperialibus hæresi infectis; (cum alioqui juxta malos catholicos pervertantur, juxta id: *Cum perverso perversis*) quia enim hæreticis catholici merito infensi sunt, tunc exstimulantur ad cautius vivendum. Sic teste S. Gregorio, in moral. agricolæ juxta allia et cepas serunt rosas, quia animadvertunt eas fragrantiores fieri ex tetri odoris vicinia aliorum et cepearum.

V. In pœnam peccatorum nostrorum, quæ merentur ejusmodi tentationem et plagam. Promiserat olim Deus Abrahamæ multiplicatum se ejus semen, sicut stellas cœli, sicut pulverem terræ et arenæ maris, Gen. XIII. et XXII. Idque implevit tempore Davidis et Salomonis, de quo scribitur quod filii Israel erant multiplicati sicut arena maris, II. Reg. XVII. et III. Reg. IV. At postquam crevere peccata, decrevit Israelitarum numerus, quod prædixit eis Moyses, Deut. IV. et XXVIII. *Nisi custodieritis et feceritis omnia verba legis, etc. remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cœli præ multitudinem.* Quod factum esse testabantur tres pueri in fornace ignis dicentes et orantes: *Domine, imminuti sumus plusquam omnes gentes.* Denique, adeo imminuti fuere, ut vix quinquaginta millia ex captivitate Babylonica ad reedificandum templum et civitatem reversa sint. Sic in regno Christi crevit imprimis sub persecutionibus Christianorum numerus, quamdiu virtuti studebant et charitate ardebant; sed postmodum tempore prosperitatis, refrigerante charitate et crescentibus Christianorum vitiis, prosperitatem consequentibus, ambitione, invidia, deliciis, avaritia, etc. decrevit etiam fides, et justo Dei judicio Christiani passim in

hæreses lapsi sunt. Hoc supplicium minatur Christus in Apocalypsi, admonens Ecclesias suas ut sese emendent, et pœnitentiam faciant: *Age pœnitentiam, inquit, et prima opera fac. Sin autem, venio tibi et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris,* Apoc. II. Candelabrum enim hoc lumen fidei est, quod Deus justo judicio permittit amittere eos, qui nullum ex eo fructum faciunt sicut et in evangelio jubet tandem excindi e vinea sua ficum sterilem, Luc. XIII. et alibi auferri ab eo talentum, qui defoderat illud, nec usuram ex illo fecerat: *Habenti dabitur, ait Dominus; ab eo autem, qui non habet, et quod habet, seu putat se habere, ut Luc. VIII. id est, fides mortua, quæ aliquid est, sed sola nihil prodest, auferetur ab eo.* Causa est, quia fides secundum theologos non tantum est habitus speculativus, qui movet ad credendum mysteria divina, sed etiam practicus, quia inclinatur nos ad operandum ea, quæ conformia sunt fidei. Quod si igitur fideles contra hanc fidei suæ inclinationem vivunt aliter ac credunt, tunc permittit Deus fidem in iis omnino extinguere et perire, sicut perire dicitur equus, qui in stabulo semper stans, nulli adhibetur usui, indeque fit inutilis et tandem abjicitur. Propterea S. Paulus præcipit discipulo suo Timotheo, ut jungat fidei: *Conscientiam bonam, quam, inquit, quidam repellentes circa fidem naufragaverunt,* I. Tim. I. Id quod etiam docet nos experientia. Videmus enim in Germania nationes fere opulentiores, et qui Ceres et Baccho abundabant, iisque studium suum devovebant, ad hæresim deflexisse. Unde apostolus sicuti dixit in novissimis diebus fore homines voluptatum amatores et vitiis deditos, II. Tim. III. sic etiam dixit: *Quod in novissimis diebus, discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum,* I. Tim. IV. Ubi quam vera nobis prædixerit, quis non videt? Hinc Carolus V. imp. de Lutheri secta dixit: *Peccata nostra commeruere ut Ecclesie integritas secaretur.* Ejusque scissuræ auctorem Lutherum indicans addidit: *Unus homo nobis scribendo perdidit rem,* Flores, sent. Hisp. Quando ergo, auditores, zizania hæreseon non sine magnis causis prodeunt in Ecclesia, superest ut inde non modo non perturbemur, verum potius excitemur ad fidei constantiam et virtutum studium; atque ut Deum laudemus, qui tali ventilabro purgat aream Ecclesie suæ. Denique, cum talis persecutio oritur in Ecclesia, imitemur Moysen et Aaronem, qui exorto murmure et contradictione in populo confugerunt ad tabernaculum, Num. XX. Fugiamus, inquam, ad Ecclesiam Petri a Christo fundatam. Ita enim monet S. Augustinus,

in Psalm. XXX. « Contradicunt, inquit, linguæ multæ, diversæ hæreses, diversa schismata, personant linguæ multæ, contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum. »

## CONCIO VI.

## QUAM MULTOS OFFENDAT PECCATOR.

I. Offendit Deum. — II. Christum. — III. Deiparam. — IV. SS. angelos. — V. Sanctos. — VI. Ecclesiam. — VII. Rempubicam. — VIII. Proximos. — IX. Creaturas irrationabiles. — X. Animas purgatorii. — XI. Damnatos. — XII. Seipsum.

## THEMA.

## Vis, imus et colligimus ea? Matth. XIII.

Notum est Abrahamum habuisse duos filios, unum ex Agar ancilla, hoc est, uxore secundaria, Ismaelem, alterum de uxore primaria, Sara videlicet, Isaacum. De Isaac dixit ei Dominus, Genes. XXII. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* De Ismaele vero, Gen. XVI. *Hic erit ferus homo: manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum.* Id quod etiam contigit; Ismael enim et Ismaelite omnes impugnabant et ab omnibus impugnabantur, cum habitarent in circuitu deserti Pharan, ubi fines multarum gentium attingebant, et ab eis infestabantur. Abraham Dei typus est, qui duplices habet filios, electos et reprobos. Per illos omnibus benedicuntur. Isti vero sunt contra omnes creaturas, et omnes creaturæ contra illos. Priores designantur in hodierno evangelio per semen bonum, posteriores per zizania, quæ tamquam pestem seminis boni, bradicare volebant servi, id est, creaturæ omnes, idque actutum facerent, si Deus id permitteret, quoniam ab iis offenduntur omnes. Quod solum si attente cogitaretur, satis superque esse deberet ad absterrendum a peccato hominem. Videamus ergo hunc Ismaelem ejusque hostiles manus, quibus contra omnes pugnat.

I. Offendit Deum, et quidem multipliciter. Primo, quia avertit se a Deo et convertit se ad creaturam, ab incommutabili bono ad fluxa et inania, a legitimo hero ad alienum et tyrannum, a patre ad hostem. De hoc queritur Dominus, Jer. II. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Mundus, caro, opes, honores, voluptates cisternæ sunt dis-

sipatæ: Deus fons indeficiens est bonorum omnium, quæ ita superant bona mundi, sicut aqua viva aquam palustrem, fœtidam et mortuam. Cum vero ad istam se convertit homo, necessario a Deo se avertit, quia cum simul ea utraque obtinere nequeat, velut pugnantia, idcirco dum faciem creaturæ vertit, consequenter tergum Deo vertit. Præcepit olim Deus, apud Ezech. cap. XLVI. ut nemo ea porta templum egrederetur, qua ingressus fuit, ne tergum scilicet propitiatorio, in quo Deus habitabat, verteret. Qua re aliud quid voluit Deus, nisi ut nemo ab eo se averteret, qui solus incommutabile bonum est? Et quid agunt peccatores? *Dixerunt ligno: Pater meus es tu, et lapidi: Tu me genuisti; verterunt ad me tergum, et non faciem, ait idem Jer. II. Infaustum nuntium allatum erat Davidi: Toto corde universus Israel sequitur Absalon, II. Reg. XV. quantum hoc afflixisse putamus cor Davidis, legitimi regis? At quanto infaustius illud, quod innumera et maxima pars hominum derelicto Deo suo sequitur creaturas et vanitatem?*

Secundo, quia legem Dei perfringit et obedientiam ei negat, liber enim esse conatur, licet interim se diaboli jugo subjiciat. De hoc queritur itidem Jer. II. Deus: *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam.* Et Isa. XXIV. *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum, propter hoc maledictio vorabit terram.* Est autem fœdus sempiternum, ipsa Dei lex æterna, quæ est regula omnis æquitatis et omnium aliarum legum, ita ut omnem rectitudinem ab illa desumant, nec justæ esse possint, nisi illi conformentur; unde quicumque præceptum aliquod sive humanum, sive divinum violat, contra regulam et fœdus illud sempiternum, perinde agit, ac si civitas aliqua legitimo regi rebellet, præfectum regium expellat, mandata regis laceret, sibi ipsi leges pro libito ponat, vel sine legibus vivat, aut etiam tyranno alicui se submittat. Cum enim peccator sciens prohibitam esse a Deo, v. g. fornicationem aut adulterium, interim vero adulterium committit, quid quæso aliud agit, quam ut lacerata Dei lege liber esse velit et sui ipsius dominus? Quinetiam impudentes peccatores ita demum vivunt, ac si nullus omnino Deus esset, non plus peccaturi si non esset Deus. Qua injuria quæ major excogitari potest? Hoccine non est legem Dei lacerare, et pedibus conculcare?

Tertio, quia conatur, quantum in se est, Deum perdere, constituit enim sibi Deum alium, et ad eum velut finem ultimum referat omnia sua obsequia, desideria, dicta et facta, et perinde agit ac Hebræi, qui relicto Deo suo erexerunt sibi vi-



lulum, et circum eum saltantes dixerunt: *Hi sunt dii tui, etc.* Sic colit aurum avarus, impurus Venerem, gulosus ventrem, ambitiosus gloriam: his toto corde serviunt, dum malunt præcepta Dei transgredi, quam contra ista quid agere, aut circa ea quid negligere; quod quid aliud est, quam exturbare Deum e solio suo, et collocare in eo idolum? Non enim est Deus noster ut dii gentium, qui secum ferat alium Deum: solus ille vult esse Deus noster, aut omnino non vult: quod bene omnes novimus. Pellit deinde peccator, quantum in se est, Deum e corde suo: vellet item nesciri scelera sua, et puniri ab eo non posse: quod nihil aliud est, quam Deo jus suum auferre, oculos effodere et manus ligare velle.

II. Offendit Christum primo, quia quod Christus ingenti labore destruxit, ipse reedificat: peccatum videlicet. Quod si imprecatus est Josue reparatoribus civitatis Jericho maledictæ et ab eo destructæ: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho*, Jos. VI. non offenditur Christus, si quis peccatum reedificet, quod ipse morte sua destruxit? Nisi ingenti odio prosequeretur Christus peccatum, non evertitisset illud proprio sanguine.

Secundo, quia sanguinem testamenti ejus conculcat et effundit velut aquam in terram, dum se et proximos perdit, quos Christus pretioso sanguine suo comparavit. Si enim aurum est, quod aurum valet: cur non item sanguis Christi est quod sanguine ejus emptum est? Nonne vehementer affligit patrem filius, qui vocantem et insequentem fugit, et ab ipso ad hostes vel carnificem currit? Atqui hoc facit Christo peccator. Audi querelam Christi: *Pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti*, Psal. LXI. Itaque recrudescere facit vulnera Christi, quomodo carnifices ea renovarunt, cum tunicam carni adherentem abstraxerunt in monte Calvariæ.

Tertio, quia Christum quodammodo vesaniæ aut imposturæ arguunt, dum contrariam ei, quam ipse docuit et tenuit, viam tenent et ambulat; quasi non e cælo venerit Christus propterea ut veram nobis cæli viam monstraret. Quemadmodum enim discipulus magistro contraria sentiens despiciere illum censetur et offendit, sic Christianus aliter vivens ac præscripsit illi Christus.

III. Offendit Deiparam, quia injuria Filii redundat in matrem. Si enim graviter accepit Bethsabæe, quod Adonias in regnum patris, Davidis scilicet, se intruderet, et filius ejus Salomon, cui jure debebatur regnum, excluderetur: (quandoquidem id querebatur regi, dicens inter

alia: *Cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego et filius meus Salomon peccatores*, id est, miseri vel quasi rei :) quanto gravius accipiet Deipara, si in Filium ejus peccetur, isque honore debito privetur a peccatoribus? Posset enim dicere peccatori: Quoniam tu Filium meum honore suo spoliasti, ergo ego et Filius meus erimus peccatores?

Secundo, quia rursus affigit illi Filium et in oculis ejus quodammodo crucifigit, atque ita doloris gladio rursus animam ejus configit. Quod si tunc is gladius animam ejus pertransiit, quando vidit Filium ab impiis flagellari, illudi et crucifigi: nonne rursus offenditur, et quantum in peccatoribus est, doloris gladio transfigitur, si videat eundem Filium suum rursus ab illis flagellari, illudi et crucifigi, blasphemias aliisque sceleribus? Et quemadmodum Judas ingentem injuriam intulit Mariæ, quando ejus Filium vendidit, in quem ipse jus nullum habuit, sed mater sola habebat: ita injurius etiam est Deiparæ, qui Filium ejus blasphemat vel aliter offendit. Tertio, quia eidem filium etiam adoptivum eripit, seipsum videlicet. Est enim et ipsa omnium nostrum mater, quoniam per Filium suum nos ad vitam genuit, dum vitæ auctorem nobis genuit. Ac licet quis offenderit Filium ejus naturalem, Christum scilicet: non ideo tamen ipsa vult mortem et perditionem offendentis, adoptivi filii sui; sed potius adhuc pro eo supplicat ut servetur et veniam accipiat; instar illius Thecuitis videlicet, cujus filium cum frater occidisset, supplicabat tamen nihilominus pro superstite parricida, II. Regum, c. XIV.

IV. Offendit ss. angelos primo, quia ipsorum communem Dominum, cujus honorem maxime zelant. Si enim filii Sarviæ, servi David, cum viderent Semei jacere lapides contra David et maledicta, ira accensi gestiebant ei mox amputare caput et vindicare contumeliam domini sui, II. Regum XVI. dubium non est, ss. angelos, qui longe magis diligunt Dominum suum, multo acrius indignari, cum vident eum offendi. Unde in hodierno evangelio juxta opinionem Sancti Hieronymi, paratos se offerunt ad evellenda zizania, si Deus permitteret: *Vis, imus et colligimus ea?* Unus angelus pro honore nominis divini, quod blasphemarant Assyrii, zelans, occidit una nocte centum octoginta quinque millia Assyriorum, IV. Reg. XIX. Idem faceret et cæterorum horum similibus, si Deus id concederet. Secundo, quia privat illos gaudio accidentali, quod cumulare alioquin posset sua conversione, Dominus testante: *Dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente*, Luc

XV. Ut ergo insignis aliquis novitius discedens e religione, affligit omnes religiosos; ita qui a societate angelorum, quibuscum velut novitius per gratiam vivebat, discedit per peccatum. Sic affligit quadraginta martyres, quod unum a se deficere cernerent, et in tegetactum balneum e gelido transilire. Tertio, quam custodum operam ludit, eisque illudit, monita et consilia eorum irrita faciens; imprimis proprii custodis, cui non paruit; deinde alienorum, quorum clientes ipse forsitan seduxit. Si enim merito indignatur ludimagister, cum videt pueros post sedulam non unius tantum sed plurium annorum navatam operam, nihil proficere, non dolebunt angeli custodes, si videant in clientibus suis perire suum tot annorum studium? Quid, quod iidem per prava opera fugantur, uti S. Basilius, in Ps. XXXIII. asserit, quemadmodum videlicet apes fumo, et columbæ graveolentia? Ita enim auditæ voces (utique ipsorum) in templo Jerosolymitano paulo ante excidium: *Migremus ex his sedibus*.

V. Offendit sanctos, quia eorum patrem et magistrum rursus instar Judæ fecte osculatur et quantum in ipso est tradit, dum Christianum se fatetur, Christum interim persequitur. Unde sicut Petrus Christum defensurus eduxit gladium et resecurit aurem Malcho, sic facerent sancti peccatori, si a Deo permitterentur, et quidem multo expeditius. Quid fecere duo illi Boanerges, cum viderent Christum excludi a Samaria; nonne dicebant: *Vis, dicimus, descendat ignis de celo et devoret hos?* Quid ergo facerent modo, quando vident offendi magistrum suum regnantem in cælis?

Secundo, quia desiderant corporum suorum resurrectionem, quæ tamen institui nequit antequam numerus prædestinatorum impleatur: hujus vero impletionem retardant peccatores.

Tertio, quia sancti indignissime ferunt gravissima peccata tam facile admitti, quæ ut illi vitarent, velis remisque contendebant, et plurimi ex illis vitam et sanguinem profuderunt. Maluerunt enim aliqui martyres tormentis enecari, quam vel tradere sacros libros tyrannis, vel comedere cibos vetitos, vel unicum Christianum prodere aut mentiri.

VI. Offendit Ecclesiam primo, quia ejus membra in ea collidit. Si patiebatur Rebecca ante partum, ex eo quod uterque fœtus, Jacob et Esau in utero ejus colliderentur; si Sara cum videret Ismaelem ludere cum Isaac eumque seducere; quomodo non affligetur Ecclesia, cum videt suos principes, prælatos et fratres inter se mutuis collidi bellis et dividi sectionibus?

Secundo, quia membrum ejus aliquod mortificat peccator, videlicet seipsum. Qui vero non offendatur Ecclesia, si videat filios suos tot spiritualibus remediis munitos, cedere in prædam infernalium luporum, seque frustra eos insequi et clamoribus revocare? Si Rachel (id est Ephrata,) dicitur plorasse filios suos, qui in captivitatem ducti sunt; non plorabit Ecclesia, videns imminentem filiorum damnationem, monita ejus spernentium?

Tertio, quia sana ejus offendit membra, justos videlicet, qui cum Davide vident prævaricantes et tabescunt. Ideo in parabola servi nequam, ait Dominus contristatos fuisse conservos super immani crudelitate conservi, et venisse et narrasse domino suo omnia, quæ facta fuerant. Hoc enim faciunt justi, cum vident prævaricatores impune delinquere et sævire in proximos. Hinc apostolus Paulus de putridis quibusdam membris dixit: *Utinam absceindantur qui vos conturbant*, ad Gal. V. sicut enim putre membrum molestiam affert aliis; sic reprobi bonis.

VII. Offendit rempublicam. Primo, quia magistratui labores, curas et molestias creat. Quid enim non molestiarum sustinet magistratus propter fures, homicidas aliosque reos, quos invitatus debet perquirere, investigare, capere, et tandem sine commiseratione condemnare, plectere? Unicus sæpe refractarius civis perpetuo vexat magistratum.

Secundo, quia scindit et destruit harmoniam corporis politici, et musicam concentum suo stridore turbat. Cum enim tota respublica bene ordinata et disciplinata est omnibus suum officium facientibus, quasi magistratu non indigeret, solet ab omnibus laudari. Quando vero in ea reperiantur improbi, qui variis suppliciis debent castigari, carceribus, vinculis, patibulis, perdit bonum nomen. Et unicus sæpe impius pessimam ei inurit notam, uti Achan, qui turbavit omnem Israel furto suo; ideoque exturbatus et ab omnibus lapidatus est, Jos. VII. Sic Jacob duobus filiis suis Simeon et Levi, quod Sichem occidissent dixit: *Turbastis me et odiosum (Hebraice foetentem) fecistis me Chananæis*, Genesis XXXIV.

Tertio, quia cætera membra republicæ tristitia afficit uti imprimis propinquos et amicos, qui non possunt non dolere, cum vident eum accusari, incarcerari, multari, occidi, etc.

VIII. Offendit proximos, primo, pœnam ad eos etiam derivando; siquidem propter unius aut paucorum scelera sæpe integræ communitates et civitates puniuntur, quod ne fieret, ideo blasphemii in veteri lege omnium manibus jube-



bantur lapidari. Derivat etiam pœnam in propriam familiam usque in tertiam et quartam generationem. Et nil crebrius, quam quod filii parentum flagitia luere coguntur. At quid enim monentur parentes sæpe, ut desistant a malis propositis, cum dicitur eis: *Parcite liberis vestris?*

Secundo, culpam etiam in eos derivando partim directe per consilium, jussionem, auxilium, etc. (non enim vult solus perire, sed socios sibi quaerit, et veneno suo alios quoque inficit: quemadmodum una ovis scabiosa totum inficit gregem) partim indirecte, per scandalum quod adeo grave damnum est, ut Dominus dicat, melius ei futurum, si appendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum. Hac ratione offendit etiam infideles et hæreticos, qui cum vident vel audiunt perversos Christianorum mores, ipsi in perfidia sua solidantur et a fide magis abhorrent, dicentes: *Si tales sunt Christi discipuli, non dissimilis erit magister.* Et idcirco propter eos blasphemant nomen Dei, ut testatur apostolus, ad Romanos, cap. II.

Tertio, alia damna inferendo, uti contumelias, probra, detractiones, oneribus opprimendo, verberibus mulctando, vel omnino occidendo; propter quod sanguis eorum in cœlum clamat.

IX. Offendit etiam creaturas irracionales. Primo, quia avertit eas a Deo creatore suo, ut serviant ejus hosti et proditori ad ipsius Dei injuriam. Vino titur ad ebrietatem et luxuriam, gladio ad homicidium, opibus ad luxum, vestibibus ad superbiam, ingenio et scientia ad spargendos et tuendos errores, hæreses excogitandas, dolos, injustitias, etc. propter quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc: quia scilicet vanitati, id est, homini vano et peccatori, subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam, ut ait apostolus ad Rom. VIII.

Secundo, quia dissolvit harmoniam mundi: omnia enim serviunt Deo et ad nutum parent, præterquam homo, qui tamen principalis est rota totius horologii hujus mundi, quæ idcirco etiam reliquas impedit et ordinationem Dei pervertit, ita ut sæpe propter peccatores cœlum fiat æneum nec pluatur; modo aperiat cataractas ut pluere non desinat; ut ignis de cœlo cadens terram incendat, terra disrupta vel mons cadens malos obruat, venti domos et silvas sternant, aquæ et maria intumescant, hominesque demergant, bestię hominibus noceant, et quandoque in civitates irruant vel eas obsideant, etc. Hæc tota naturæ perversitas unde provenit nisi a peccatoribus, qui primi esse deberent in facienda Dei voluntate, modo autem rebelles sunt? Hinc Isa. VI. dicitur: *Erybesce Sidon, ait mare.*

Tertio, quia propter illum sæpe irracionales etiam creaturæ puniuntur. Quid commiserere peccora et jumenta ut quandoque peste absumantur, segetes ut grandine feriantur, etc.? Hominum peccata luunt.

X. Offendit etiam animas purgatorii, quia privat eas speratis et debitis sibi a nobis suffragiis, quibus refrigerari possent: quemadmodum enim vir præstans immoderate vivendo morbos sibi concilians, nocet liberis et familiæ totique reipublicæ; sic peccator nocet animabus parentum et fratrum suorum, omniumque eorum, qui in purgatorio detinentur, quia reddit se inutilem ad juvandum illas.

XI. Offendit ipsos etiam damnatos. Primo, quia pœnam eis auget cum vel aliqua peccata committit, ad quæ sibi auctor fuit damnatus aliquis. Sic Lutherani pertinaciter in hæresi persistentes, quotidie adaugent Luthero suo pœnam.

Secundo, quia quo magis crescit multitudo impiorum, eo magis propinquorum, amicorum et complicum. Hanc enim causam vult esse Lyranus, cur epulo petierit mitti ad domos fratrum suorum, ne et ipsi in locum tormentorum suorum venirent: unde videlicet eorum societate acrius torqueretur.

XII. Offendit seipsum et quidem omnium maxime, quia maxime sibi nocet. Ut enim viperam necant proprii fetus, sic peccata auctorem. Unde Ps. X. dicitur: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*: et angelus, Tob. XII. ait: *Qui faciunt iniquitatem et peccatum, hostes sunt animæ suæ.* Res crudelis est, sibi ipsi mortem inferre; crudelissima, necare animam propriam. Si enim omnes creaturæ in te consurgerent, et quantum possunt, tibi nocerent, non tantum te offendere possent, quantum tu te ipse offendis, cum peccas. Imo nec Deus tantum tibi nocere potest; quia non aliud tibi malum inferre potest, quam malum pœnæ: hoc autem longe minus est peccato. Vere igitur S. Chrysostomus scribit, neminem lædi nisi a seipso: quoniam omne malum, quod extrinsecus advenit, sive ab hostibus, sive ab elementis, sive a Domino, homini cooperatur in bonum, si peccatum absit. Nam cum peccatum abest, Deus adest, et si Deus pro nobis, quis contra nos? ait apost. ad Rom. VIII. At cum quis animam gladio peccati perimit, simul omnia perdit bona, et incidit in foveam omnium malorum. O gladium acutum! Gladium prælongum! Pertingit enim usque ad cœlum, pertingit usque ad oreum, pertingit usque ad fines orbis.

Ex quibus patet, quam merito non angeli tantum vel prælati hodierni evangelii, sed et

omnes anæ creaturæ dicant de peccatoribus ad Deum: *Vis imus et colligimus ea?* Sed licet hic non permittantur insurgere, simul saltem et semper in peccatorem, permittentur tamen aliquando, cum videlicet audient: *Alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Ita enim Sapiens, c. V. testatur: *Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos.* Quemadmodum enim lupi et canes rabidi a tota communitate quaeruntur ad necem, quia omnes invadunt et rabido mordent; sic etiam in peccatores insurget aliquando totus orbis. Vis igitur totum mundum non habere hostem? Desine peccare.

## CONCIO VII.

## DOCUMENTA.

I. Somnolentia quam noxia. — II. Diaboli astutia. — III. Zelus justitiæ discretus sit. — IV. Dei in cognoscendis malis perspicacia, in expectandis longanimitas, in tolerandis clementia. — V. Discrimen bonorum et malorum.

## THEMA.

*Nonne bonum semen seminasti in agro tuo?*  
Math. XIII.

Miramini forsitan, auditores, quod eandem rem variis parabolis sæpius nobis inculcet Dominus. Quod enim docet in hodierno evangelio, est, non omnes, qui in Ecclesia sunt, esse justos ac proinde cœli hæredes futuros, sed alios esse triticum, alios zizania: alios congregandos in horreum Dei, alios alligandos, ad comburendum in gehenna. At hoc idem docuit Dominus in parabola de piscibus bonis et malis in eadem sagena: in parabola de ovibus et hædis in eodem grege: in parabola de sapientibus et fatuis virginibus in eodem nuptiarum comitatu: in parabola de bene et male vestitis in iisdem nuptiis. Ad quid ergo eandem cantilenam toties nobis occinit? Nimirum, auditores, sciebat Dominus stultum illum et perniciosum errorem qui docet omnes esse justos, et quo sibi quisque imaginatur ac persuadet se in Dei gratia esse adeoque certo salvandum, nemo se damnandum putat, cordibus nostris amore proprio cæcatis pertinaciter infixum esse. Quem ut nobis eximat adeoque nos cum timore et tremore salutem nostram operari doceat, dicere vult hæc parabola: Nemo sibi blandiatur, quod in Ecclesia Dei sit, quasi jam securus de salute. Sunt in eodem agro triticum et zizania, in eadem sagena boni et mali pisces, in eodem grege oves et hædi,

in eodem comitatu prudentes et fatuæ virgines, in iisdem nuptiis bene et male vestiti. Priores a Deo colligentur, posteriores abjicientur. Deinde, agit nobiscum Dominus, sicut medicus cum ægrotis quibus idem medicamentum sub variis confectionibus propinat, tum ne ejus fastidium capiant, tum ut id quod per unam capere non possunt, capiant per aliam. Ergo, auditores, tametsi interdum eadem doctrina pluribus tropis et figuris vobis inculcatur, nolite ægre accipere, bonum semen verbi divini est, quod seminavit Christus, crebrius licet jactum, et quod ex ipso seminamus nos. Expandite agrum cordis vestri et excipite semen.

I. Discimus, quid mali causet negligentia et somnolentia hominum, maxime prælatorum, dum audiamus diabolum non nisi dormientibus hominibus zizania sevisse. Somnus corporalis sæpe noxius fuit hominibus: Noen enim nudavit, Lothum incestu fœdavit, Sisaram terræ affixit, Madianitas hosti tradidit, Samsonem robore spoliavit et Philisthaeis illudendum præbuit, Holofernem capite trunçavit, Tobiam stercore hirundinum cæcavit, etc. ut non levi de causâ assuescere a teneris debeamus, priusquam imus cubitum, Deo nos commendare et angelo custodi; ne quid damni malignus hostis nobis dormientibus struere et inferre queat. Verum longe periculosior est somnus spiritualis cum in peccatis obdormimus et sine scrupulo vivimus; tunc enim malus ille sator, nihil non zizaniorum cordibus nostris superseminare potest.

Maxime vero in prælati et rectoribus perniciosus est hic somnus. His enim, qui vigilantes esse debent, consopitis, quid non moliri in greges eorum malus genius potest? Quando Ninivites post Jonæ prædicationem et suam pœnitentiam ad ingenium redierunt et in pristina scelera relapsi sunt, obsessi sunt a Chaldæis. Durante obsidione rex et optimates confisi in muris et munitionibus suis, convivii et symposiis vacarunt, ut scribit Diodorus Siculus, l. III. atque ita vino somnoque sepulti sunt. Interim Chaldæi Niniven invaserunt et duces occiderunt, populum vero disperserunt. Hinc eorum regem alloquens Nahum, c. III. ait: *Dormitaverunt pastores tui rex Assur. Sepelientur principes tui*: (primo vino, deinde humo,) *Septuaginta vertunt: Consopivi (rex) fortes tuos*; quomodo scilicet Balthasar merc consopivit optimates suos, quos proinde Cyrus eadem nocte oppressit et occidit, Dan. V. Hoc idem certe nos superiore sæculo experti sumus cum adverteret diabolus non paucos Ecclesiæ antistites profundo otio et deliciis, quibus diuturna pax et per eam congestæ divitiæ mate-